



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.12. Saxones convertuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. vero Carolus hujus incurſionis pœnas ex-
 A. C. 776. popoſcit, qui Saxones ad Viſurgim proelio
 victos eodem anno 775. ſibi ſubjecit &
 Ann. Pet. ingentem ſpoliorum vim egit.
 Loifel. ann.
 775.

§. XII.

Saxones convertuntur.

Ann. Loif. Anno ſuperiore 774. Carolo in Italia
 774. agente, Saxones, quos nullo ſancito
 fœdere reliquerat, collecto numeroſo ex-
 exercitu in Francorum Ditiones irruerant,
 & uſque Fritislariam in Haſſia penetrave-
 rant Eccleſiam a S. Bonifacio prope ar-
 cem Bureburgenſem, quo Franci conſu-
 gerant, flammis conſumpturi; at nec
 intus nec foris efficere potuerunt, ut ſa-
 cer hic locus ignem conciperet, & con-
 ſternati in fugam ſe dederunt, nemine
 perfequente. Ferunt etiam, utrinque
 tam a paganis, quam a Chriſtianiſ, qui
 in arce Bureburgenſi erant, viſos fuiſſe
 duos juvenes candido veſtitu fulgentes
 illam Eccleſiam defendere. Diffugienti-
 bus aliis unus Saxonum prope fores tem-
 pli inventus eſt mortuus, flexis genibus
 nixus, lignum & ignem in manibus te-
 nens & ſimilis cuiquam, ædes incendere
 volenti.

Anno ſeptingentefimo ſeptuageſimo
 ſexto Saxones violato anni præcedentis
 fœdere bellum inſtaurant, iisque Ar-
 cem Eresburgenſem oppugnantibus multi
 tam

tam agredientium quam propugnantium asseverabant, vidisse se scuta duo rubei coloris & ignitos supra Ecclesiam agitari, quo prodigio perterriti Saxones in mutuas cædes ruere, & ad castra sua fugam præcipitare compulsi sunt, Francis usque ad Lippam amnem recedentium tergis hærentibus. Tum Regi Carolo, eorum terras ingresso, se ipsos dederunt, promittentes se Christianorum Sacra suscepturos. Carolus Eresburgo reparato, aliam quoque arcem ad Lippam extruxit, quo cum Saxones cum uxoribus & liberis convenissent, innumera eorum multitudo baptizata est. Anno quoque sequente septingentesimo septuagesimo septimo plurimi baptizati sunt Paderbornæ, in qua Civitate Rex Carolus primo Francorum Conventum celebravit. Illuc Saxones ex omnibus illius Gentis Provinciis confluxerant, at Witichindus Principum præcipuus cum quibusdam aliis in Normanniam, id est, Daniam se recepit. Ceterum Saxones hoc anno baptizati libertatem suam agrosque pignori obtulerunt, nisi in Religione Christiana perseverarent, & fidem Regi Carolo datam servarent.

Verum anno sequente septingentesimo septuagesimo octavo, cum scirent Regem Carolum in Hispania versari, impellente Witichindo iterum rebelles, us-

Sæcul. VIII.
A. C. 777.

Hist. Eccles. Tom. X.

Cc

que

Annal. Loisel.

Sæcul. VIII.
A. C. 779.

que ad Rhenum penetrant, agros vastant, prædas agunt, Ecclesias incendunt, Virginibus Deo Sacris vim inferunt. Mox comperto Caroli reditu recedunt, & ab ejus Ducibus prælio fusi in patriam reverti coguntur.

§. XIII.

Capitulare anni septingentesimi septuagesimi noni.

Cum Rex Carolus hoc anno Heristalli Diem Natalem Domini Nostri & Festum Paschæ anno sequente septingentesimo septuagesimo nono celebraret, ibi Capitulare viginti trium (*) Articulorum conditum est, quorum aliqui ad Religionem pertinent. Monasteria reformari jubentur, & Abbatissæ sine intermissione in suo Monasterio residere. Episcopi licentiam habeant homines incestuosos emendandi, atque etiam viduas lapsas. Quilibet det Decimas, quæ secundum justitiam Episcopi dispensentur. Homicidæ & ceteri rei, quos Lex morte puniri jubet, si ad Ecclesiam confugerint, non inveniant ibi præsidium, nec eis victus præbeatur. Perjuro manus amputetur. Si dubium fuerit Pars utraque ad Crucem stet. Is modus tunc temporis erat exprimendi verum; nempe Actor & Reus stabant

Cap. to. 1.
p. 195.

c. 3.

c. 5.

c. 7.

c. 8.

c. 10.

V. Cloff.
Cang.

(*) In ipsis Actis visuntur Articuli XXIV.